



Prot. N. 334/19/1

BEATISSIME PATER,

Amadeus Rodríguez Magro, Episcopus Placentinus in Hispania, sensus filialis devotionis erga Sanctitatem Tuam ex animo pandit, et reverenter exponit: Die X Maii MDLXIX, Montiliae in Vandalicia Hispaniae, ex hoc saeculo ad Deum migravit S. Ioannes Magister de Abula, qui cunctam Baeticam regionem Christum praedicans pererravit et, iniuste de haeresi suspicatus, in carcerem trusus est, ubi praecipuam doctrinae suae spiritalis partem scripsit. Die IV Aprilis MDCCCXCIV a Leone Pp. XIII in Beatorum album relatus, die XXXI Maii MCMLXX a S. Paulo Pp. VI ad Sanctorum ordinem adscriptus est. Praetantiam huius sacerdotalis figurae perpendens, Ven. Pius Pp. XII die 11 Iulii MCMXLVI eum caelestem clericorum saecularium Hispaniae Patronum et Benedictus Pp. XVI die VII Octobris MMXII Ecclesiae Universalis Doctorem declaravit. Ad felices illas memorias (diei natalis in caelo: CDL, beatificationis: CXXV, canonizationis: L) rite celebrandas, in Cathedrali templo Baetien., et in cappella S. Ioannis Ev., antiquae Universitatis Studiorum Baetien., a die X Maii MMXIX usque ad diem XXXI Maii MMXX, peculiare habebuntur sacrae functiones et varia spiritalia incepta, eo intento fine ut salutaris devotio erga S. Ioannem de Abula promoveatur in tota dioecesana communitate et, ipso auxiliante, omnium fidelium mores impensius divino Evangelio conformentur. Quo autem abundantius iis, qui dictis celebrationibus intererunt, divinae gratiae thesaurus aperiatur, Exc.mus Orator Indulgentiae donum ad instar Iubilaei a Sanctitate Tua implorat. Et Deus, etc.

Die XXV Martii MMXIX

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Ss.mi Patris Francisci, Iubilarem largitur Annum cum adnexa plenaria Indulgentia, suetis sub condicionibus (sacr. confessione, euch. communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus vere paenitentibus et caritate compulsis lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Beatiae cathedralem ecclesiam vel S. Ioannis Ev. cappellam in forma peregrinationis inviserint, et ibi iubilariis functionibus pie interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium pro fidelitate ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, humiles Deo effuderint preces, concludendas Oratione Dominica, Symbolo Fidei, invocationibus B. Mariae Virg. ac S. Ioannis de Abula.

Pii fideles, senectute vel gravi morbo impediti, plenariam pariter consequi valebunt Indulgentiam, si, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, laudabiliter coram aliqua S. Ioannis de Abula imagine, iubilariis celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, in proprio domo seu ubi impedimentum eos detinet, preces ut supra recitaverint, doloribus suis oblati. Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes legitime adprobati generoso animo celebrationi Paenitentiae se praebeant et S. Communionem infirmis saepe ministrent. Praesenti per memorialem annum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Maurus Card. Placentia
MAURUS Card. PLACENZA
Paenitentiaris Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens